

Privilegium que concessio.

que propterea debita, perpetuo applicavimus, & appropriavimus.

§.2. Et insuper Officium Notariatus hujusmodi pro tempore obtinenti, ut in quibuscumque sessionibus, processibus, nec non equitationibus etiam solemnibus Rom. Pont., & aliis quibuscumque una cum cæteris Rom. Cur. Notariis cujuscumque gradus, & conditionis existentibus interesse, ac omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, antelationibus, aliisque prerogativis, & gratis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus Camera nostræ Apostolicæ Notarii de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias etiam quoad exemptionem vespigalium, gabellarum, & pedagogiorum quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum similiter, & pariformiter, non solum ad eorum instar, sed æqualiter, & principaliter, ac sine ulla prorsus differentia, uti, frui, & gaudere, libere, & licite possent, & valerent, perinde ac si illa sibi per præsentem concessa fuissent, specialiter concessimus, & indulgimus.

Concessio d. officii Odoardi Tibaldeschi.

§.3. Et insuper cupientes officium prædictum sic per Nos erectum, persona idonea cum primum concedere, de fide, & industria, solertia, & diligentia, & non vulgari in arte Notariatus hujusmodi peritia dilecti filii Odoardi Tibaldeschi Clerici Spoletan. Dioecel. fide dignis testimoniis certiorati, motu simili, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris officium prædictum a primava illius erectione hujusmodi vacans cum omnibus, & singulis illius honoribus, oneribus, salariis, & emolumentis universis ordinariis, & extraordinariis undecumque ex illius exercitio provenientibus, & illi propterea debitis prædicto Odoardo, qui ob urgentes, quibus premebamur necessitates, in nostram, & Sedis Apostolicæ subventionem summam feutorum mille persolverat, simili auctoritate concessimus, & assignavimus, ipsumque ad officium hujusmodi, illiusque liberum exercitium, honores, & onera per eos, ad quos spectabat, & pertinebat, spectareque, & pertinere poterat, recipiendum, & admittendum fore, & esse, eique de eisdem officii regalibus, juribus, & emolumentis solitis, & consuetis integre responderi debere decrevimus, prout in nostris in forma Brevis sub dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimasexta Julii 1621. Pontificatus nostri Anno Primo confectis literis plenius continetur.

Modo eidem officio annectis curam conservandi processus de partibus quibus in rubrica.

§.4. Cumque a tempore erectionis, & institutionis officii hujusmodi experientia docuerit, Nobisque constet, ex illius exercitio non solum meliori processuum hujusmodi instructioni, sed etiam illorum conservationi, cujus in tanta Notariorum varietate, nulla antea ratio habebatur, consultum esse, Nobis vero, & quidem non sine animi nostri displicentia innotuerit, processus, qui extra dictam Curiam in Ger-

mania, Gallia, Hispania, aliisque Christiani orbis Provinciis, & Regionibus super qualitatibus promovendorum ad illarum partium Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum consistorialium regimina, ipsarumque Ecclesiarum, & Monasteriorum statu in partibus ipsis formantur, & ad eandem Curiam pro literarum apostolicarum expeditione transmittuntur, expeditione facta, nullam prorsus rationem haberi, sed illos uti nullius usus, aut considerationis, cartulas, vilipendi, distrahi, & deperdi solere. Nos considerantes, maxime expedire distorili processuum conservationi providere, ut successivis temporibus semper de illis, eorumque continentia apparere, & ad illos juxta casuum occurrentiam recursum, & relatiq. haberi possit: id autem nulla convenientiori ratione fieri posse videatur, quam si hæc cura prædictum Officium obtinenti demandetur, hocque processuum conservandorum onus, & munus eidem officio annectatur, ut penes unum, & eundem omnes omnium partium hujusmodi processuum, quancumque opus fuerit, reperiri possint; Motu simili, non ad ipsius Odoardi, aut alterius Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus volumus, & similiter apostolica auctoritate statuimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes, & singuli processus, quos extra dictam Curiam, tam in Germania, Gallia, Hispania, cæterisque Christiani orbis Regnis, Provinciis, & Regionibus super qualitatibus promovendorum ad quacumque Cathedralium Ecclesiarum, nunc, & pro tempore Pastoris solatio desitutarum, & Monasteriorum hujusmodi statu formari, & ad dictam Curiam transmitti contigerit, postquam ab eisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ipsarum Nationum Protectoribus, Comptectoribus, seu Vice-Protectoribus, seu qui Ecclesias, & Monasteria hujusmodi in nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis Consistorio, ut moris est, & fuerit, proposuerint, & ab Ordinum Capitibus visi, recogniti, approbati, & subscripti fuerint, ab ipsis Cardinalibus, seu coram Auditoribus, & iis, ad quos spectaverit, ante cedula consistorialis subscriptionem, seu saltem illius partibus consignationem, prædicto Odoardo, quamdiu prædictum officium obtinerit, eisque in illo successoribus, ad effectum illos conservandi, tradi, & consignari, ipsi vero Odoardus, & successores illos sic ipsis consignatos, tamquam prædicti Officii processus, & scripturas bene, & fideliter conservare, & illorum durabilitati, & quoad fieri potest, & humana patitur conditio, perpetuitati providere, bonamque fidem, & diligentem illorum curam gerere, & ad effectum illorum, dum opus fuerit, facilioris perquisitionis, & repetitionis notam, seu ut vocant, rubri-

Mercedi duorum duc. pro singulis processibus ejusmodi per promovendos eidem Odoardo præstari decernit.

rubricellam in libro ad hunc particularem effectum retinendo facere debeant, & ad id obligati existant, & hoc conservationis processuum onus, curam, & munus prædicto Officio Notariatus per Nos, ut præfertur, erecto imponimus, & annectimus.

§.5. Et quia sua labori merces debetur, eidem Odoardo, eisque in dicto Officio successoribus, ratione laboris eis ex dicto conservationis processuum onere accrescentis, & pro illius salario, & mercede, juribus, & regalibus Officii prædicti duos ducatos auri de Camera, pro singulo processu ad dictam Curiam pro expeditione transmittendo, eis in conservationem tradendo, & consignando, ipsius a quolibet ex promovendis ad Ecclesias, & Monasteria hujusmodi, seu Sollicitatoribus in dicta Curia tales expeditiones prosequentibus, realiter, & cum effectu, & absque mora, seu dilatione aliqua solvendo assignamus, ipsisque ut mercedem, seu salarium, ac jura, vel regalia duorum ducatorum pro quolibet processu hujusmodi ab ipsis promovendis, seu eorum agentibus, vel eorum nomine expeditiones in prædicta Curia prosequentibus, qui ad illorum solutionem omnium juris, & facti remediis opportunis cogi, & compelli possint, petere, exigere, & consequi valeant, atque etiam debeant, licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus.

Togam violaceam in se ipso deservi indulget.

§.6. Cæterum pro majori dicti Officii prædicti decore, & ut illud obtinentes peculiari aliqua prerogativa gaudeant, eidem Odoardo, eisque successoribus, ut quamdiu Officium prædictum obtinerint, vestem, seu togam violaceam deferre, ac violaceo colore induti quancumque, & in quibuscumque tam publicis, quam privatis actibus incedere possint, simili auctoritate indulgemus.

Clausulas prerogativas apponit.

§.7. Præsentem vero, etiam ex eo, quod interesse forsan habentes, seu habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, seu quibusvis ex causis subreptionis, vel obreptionis vitio notari, impugnari, aut invalidari, seu ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, vel sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus editis, & edendis comprehendendi non posse, sed semper uti ex titulo oneroso concessas ab illis excipi, & quoties illas revocari, seu annullari, aut alias contrarias dispositiones emanare contigerit, toties in pristinum, & validissimum statum repositas, restitutas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Odoardum, & successores prædictos quancumque eligenda, concessas esse, & fore.

Decretum irritans adiungit.

§.8. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi.

tandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, pari apostolica auctoritate decernimus.

Contrarius derogat.

§.9. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non consuetudinibus, usibus etiam, & naturis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis volumus non obstare, quæ etiam hic præsentibus pro repetitis, ac de verbo ad verbum insertis habemus, & haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 7. Decembris 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 7. Decem. 1621. Anl.

XXI.

Confirmatio Literarum Nicolai Quinti, Sixti Quarti, & Clementis Septimi, quibus Universitas Studii Generalis Trevirensis erigatur, concessisque privilegiis nonnullis ei Beneficia aliqua Ecclesiastica uniantur.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesiæ regimini, nullo licet merito nostro, divina dispensatione præpositi, inter cæteras pastorales sollicitudinis nostræ curas illam sedulo amplectimur, per quam literarum studia propagantur, studiorumque generalium Collegia, & Universitates ad divini nominis laudem, & gloriam, animarumque salutem instituta majoribus in dies proficiant incrementis, ac propterea iis, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris Collegiis, & universitatibus hujusmodi concessa, & indulta sunt, ut firma, & illibata perpetuo subsistant, libenter, cum a Nobis petitur, apostolicæ confirmationis robur adiciamus, prout conspiciamus salubriter in Domino expedire.

Procurium.

§.1. Alias siquidem a sel. rec. Nicolao Quinto, Sixto Quarto, & Clemente Septimo Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanarunt literæ tenoris subsequenti videlicet.

Summorum Pontificum de Trevirensi Universitate recenlet.

§.2. Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter cæteras felicitates, quas mortalis homo in hac labili vita ex domo Dei nancisci potest, ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valet scientiæ margaritam, quæ bene, beateque vivendi viam præbet, ac peritum ab immerito sui preciositate longe facit excellere, & similem Deo reddit. Hoc præterea illum ad mundi arcana cognoscenda dilucide introducit, suffragatur indocens, & in infimo loco natos evehit in sublimes, & propterea Sedes Apostolica rerum spiritua-

Literæ Nicolai PP. V. quibus Trevirensis Universitas erigatur, eque nonnulla concesserunt privilegia.

lum, & etiam temporalium provida ministratrix, liberalitatis honeste circumspicte distributrix, & cujusvis commendabilis exercitii perpetua, & constans adiutrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humanæ conditionis fastigium acquirendum, & acquisitum in alios transfundendum semper cum augmento quaesiti indicantur, cum aliarum rerum distributio Massam minuat, scientiæ vero communicatio quanto in plures diffunditur, tanto semper augeatur, & crescat: Sedes in quam Apostolica illos hortatur, eis loca preparat, illos juvat, & fovet, ac favoribus profequitur gratiosis. Cum itaque, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Jacobus de Sinch Archiepiscopus Treviren., & prout etiam dilectus filius noster Arnoldus Heymerici de Clinis Literarum Apostolicarum Abbreviator, & ipsius Archiepiscopi Secretarius, ac in Romana Curia Procurator Nobis retulit, idem Archiepiscopus non solum ad Reipublicæ, ac Incolarum Terrarum sibi subiectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem, & prosperitatem intendens, in ejus Civitate Treviren. tamquam loco insigniori, & magis ad hoc accommodo, & idoneo, in quo aeris viget temperies, vidualium ubertas, cæterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desideret plurimum fieri, & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides catholica dilatetur, erudiantur simplices, æquitas fervetur Judicii, vigeat ratio, illuminentur mentes, & intellectus hominum illustrentur; Nos præmissa, ac etiam eximiam devotionis sinceritatem, quam dictus Archiepiscopus ad Nos, & Romanam gerit Ecclesiam attente considerantes, suumque laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, ferventi studio ducimur, quod civitas ipsa scientiarum munitur honoribus, itaut Viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum pollentes ornatibus, & diversarum facultatum dignitatibus eruditos, sitque inibi scientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis; His igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ Civitatis, quæ etiam, ut accepimus, ad multiplicanda sanctæ doctrinæ semina, & germina salutaria producenda valde accommodata existit, diligenti examinatione pensatis, ac ipsius Archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinatis, ad laudem Domini nominis, & ejusdem fidei propagationem auctoritate apostolica tenore præsentium in eadem Civitate Studium generale erigimus, ac statuimus, & ordinamus, quod illud inibi perpetuis temporibus vigeat tam in Theologia, & Jure Canonico, ac Civili, quam in quavis alia licita facultate: quodque legentes, & studentes ibidem omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, honoribus, exemptionibus, & immunitatibus, etiam per viam, & modum perpetuarum conservatoriarum sub quibusvis modis, & formis concessis Magi-

stris, doctoribus, ac studentibus commorantibus, sive residentibus in studio generali Colonien. gaudeant, & utantur: quodque illi, qui processu temporis bravium meruerunt in facultate illa, in qua studuerint, obtinere, ac docendi licentiam, ut alios erudire valeant, necnon Magisterii, seu Doctoratus honorem petierint, eis largiri per Doctorem, seu Doctores, Magistrum, seu Magistros facultatis ejusdem, in qua examinatio fienda fuerit, Archiepiscopo Treviren. pro tempore existenti, & Treviren. Ecclesia Pastoris solatio destituta Vicario, seu Officiali in spiritualibus dilectorum filiorum Capituli Treviren. præsententur. Qui quidem Archiepiscopus, vel Vicarius, seu Officialis, aliis Doctoribus, & Magistris in eadem facultate ibidem tunc legentibus convocatis, promovendos eosdem in his, quæ ad Magisterii, seu Doctoratus honorem quomodolibet requiruntur, per se, vel alium juxta modum, seu consuetudinem in talibus in dicto studio Colonien. servari solitos examinare studeant diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, & Doctoratus, seu Magisterii impendat honorem; Illi vero, qui in eodem studio Civitatis ejusdem examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem hujusmodi obtinerint, ut præfertur, ex nunc, absque aliis examinatione, & approbatione deinceps docendi, regendi, & legendi tam in Civitate, quam singulis aliis studiis, in quibus regere, vel docere voluerint, plenam, & liberam habeant facultatem; Præterea, ut ipsorum, Magistrorum, Doctorum, & Scholarium, dispendiis obviatur, præfatis, & pro tempore existentibus Archiepiscopo Treviren., ac dilectis filiis Abbati Monasterii S. Matthiæ extra Muros Treviren., & Præposito Treviren., necnon Meten., & S. Florini Confluentiæ Treviren. Diocesis. Decanis Ecclesiarum, ac Priori Domus S. Albani extra dictos Muros Treviren. Cartusien. Ordinis mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati sint præfatis Magistris, Doctoribus, & Scholaribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant eos contra hujusmodi privilegia, exemptiones, & immunitates, vel super eorum bonis, rebus, & Juribus quibuscumque indebite molestari, vel eis damna, seu gravamina, aut injurias irrogari, facturi dictis Magistris, Doctoribus, & Scholaribus, cum ab eis, vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fuerint requisiti, de prædictis, & quibuslibet molestiis, injuriis, vel damnis præsentibus, & futuris, in his videlicet, quæ judicalem requirunt indaginem, summarie, & de plano sine strepitu, & figura Judicii; In aliis vero prout qualitas negotiorum exegerit, justitiæ complementum, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuscumque dignitatis, status,

grā.

gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quodcumque, & quotiescumque expedire viderint, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus se. re. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri, illa præsertim, quæ incipit *Statutum*, quod circa Judices, ac de duabus Diebus in Concilio generali, quodque Conservatores de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis, & aliis, quæ judicalem requirunt indaginem, pœnis in eos, si secus egerint, & in id Procuratores adiectis se nullatenus intromittant, ac nostris, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenore existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in literis nostris mentio specialis. Cæterum volumus, & apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet ipsorum per Nos deputatorum Conservatorum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento prædeditus, quodque a Data præsentium sit eis, & cuilibet ipsorum, in præmissis omnibus, & singulis cœptis, & non cœptis præsentibus, & futuris perpetuata potestas, & Jurisdicção attributa, ut eo vigore, eaque firmitate in præmissis omnibus cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris, & pro illis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram eis cœpta fuerint, stent, & Jurisdicção eorum, & cujuslibet ipsorum in prædictis omnibus, & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata, legitime existere, constitutione prædicta super Conservatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ erectionis, statuti, ordinationis, mandati, voluntatis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo Quarto, quarto nonas Februarii Pontificatus nostri Anno octavo.

Altera ejusdem Nicolæi

§. 3. Nicolaus Episcopus Servus Servorum.  
Bull. Rom. Tom. V. Par. III.

rum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem sic salubriter providere, quod literarum studia viris literatis decorentur, ut per eorum doctrinam optati fructus in Ecclesia Dei possint suo tempore provenire. Nuper siquidem per Nos accepto, quod Venerabilis frater noster Jacobus de Serich Archiepiscopus Treviren. non solum ad Reipublicæ, ac Incolarum Terrarum sibi subiectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem, & prosperitatem intendens, in ejus Civitate Treviren. tamquam loco insigniori, & magis ad hoc accommodo, & idoneo, in quo aeris viget temperies, vidualium ubertas, cæterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desiderabat plurimum fieri, & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides catholica dilatetur, erudirentur simplices, æquitas servaretur Judicii, vigeret ratio, illuminarentur mentes, & intellectus hominum illustrarentur. Nos præmissa, ac etiam eximiam devotionis sinceritatem, quam dictus Archiepiscopus ad Nos, & Romanam gerit Ecclesiam attente considerantes, suumque laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, ferventi studio ducti fuimus, quod Civitas ipsa scientiarum munitur honoribus, itaut Viros produceret consilii maturitate conspicuos, præfatiq; Archiepiscopi in ea parte supplicationibus inclinatis, ac etiam dilecto filio nostro Arnoldo Heymerici de Clibus Literarum Apostolicarum Abbreviatore, & ipsius Archiepiscopi Secretario, ac in Romana Curia Procuratore apud Nos non mediocriter sollicitante, ad laudem divini nominis, & ejusdem fidei propagationem, auctoritate apostolica in eadem Civitate Studium generale erigimus, ac statuimus, & ordinavimus, quod illud inibi perpetuis temporibus vigeret tam in Theologia, ac Jure Canonico, & Civili, quam in quavis alia licita facultate, prout in aliis nostris inde concessis literis plenius continetur. Cupientes igitur, ut Doctores, & Magistri in eodem studio manuteneri, ac statum suum decenter tenere possint, ejusdem Archiepiscopi etiam in hac parte supplicationibus inclinatis, ac dicto Arnoldo id apud Nos incessabiliter promovente, sex Canonicatus, & totidem Præbendas, ac etiam tres Parochiales Ecclesias, vel earum perpetuas Vicarias ad ipsius Archiepiscopi, seu quorumcumque aliorum Collatorum, & Collatricum secularium, seu regularium, ejusdem Civitatis, ac Diocesis Treviren. communiter, vel divisim pertinentes, quos, & quas idem Archiepiscopus duxerit nominandos, seu nominandas, Univeritati dicti Studii Treviren. auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod simul, vel successive cedentibus, vel decedentibus aliquibus ex Canonicis ecclesiarum, in quibus ipsi Canonicatus, & præbende fuerint, seu suas inibi Præbendas, ac Rectoribus

Constitutio, qua prædictæ Universitati sex Canonice, &amp; tres Parochiales Ecclesie adiacentur.

Z z 2

Pa

Parochialium Ecclesiarum huiusmodi, aut ipsas Parochiales Ecclesias alias quomodolibet dimittentibus, liceat Reclori dicti Studii Treviren, pro tempore existenti, si illos, & illas per se, vel Procuratorem suum ad hoc legitime constitutum acceptandos, & acceptandas duxerit, per se, vel alium, seu alios Canonicatum, & Præbendam, ac Parochialium Ecclesiarum huiusmodi corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere, ac illorum, & illarum fructus, redditus, & proventus in Doctorum, & Magistrorum legentium huiusmodi usus, utilitatemque convertere, & perpetuo retinere, Diocesani loci, & cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam per Nos editis, illa præsertim, per quam volumus, quod semper uniones committantur ad partes, onerando conscientias illorum quibus committuntur, & quod tam uniuersorum, quam illorum, quibus uniri petuntur Beneficiorum fructus exprimentur, alioquin unio non valeat, cui hac vice dumtaxat derogamus: necnon statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus Canonicatus, & Præbende huiusmodi forsitan fuerint, Iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque, Aut si aliqui Apostolica, vel alia quavis auctoritate in dictis Ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant, Seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis dictarum Ecclesiarum, ac huiusmodi speciales, vel alii Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generales Apostolicæ Sedis, vel legatorum ejus literas impetrarint, etiam si per eos ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas, etiam si motu proprio, & ex certa scientia, & cum quibusvis prærogativis, & declarationibus, etiam ad instar nonnullorum familiarium nostrorum in certo libro Cancellariæ Apostolicæ descriptorum, & aliis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, vel alias effectui præsentium quomodolibet obstantibus, seu præjudicantibus, etiam si de illis specialis, & expressa mentio præsentibus habenda foret, nec non processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad predictos uniuersos Canonicatus, & Præbendas, ac Parochiales Ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem Canonicatum, & Præbendarum, aut Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Et insuper Doctoribus, & Magistris prædictis per Rectorem, & Universitatem huiusmodi pro tempore ad tenendum, & regendum Canonicatus, & Præbendas, ac Parochiales Ecclesias huiusmodi deputatis, quod ad solutionem aliquarum pecuniarum pro eorum receptione ad illos, & ad servandum annos expectantæ, & residendum, ac solutionem primorum fructuum, & ad alia onera quemadmodum

rationem huiusmodi divinus cultus in dictis Ecclesiis non diminuat, nec animarum cura in eisdem Parochialibus Ecclesiis negligatur, sed illarum, ac Canonicatum, & Præbendarum huiusmodi, & consuetua onera congrue supportentur. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ incorporationis, annexionis, unionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quarto, Pridie idus Februarii Pontificatus Nostri Anno Octavo.

§. 4. Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In summa dignitate specula, licet immeriti divina dispositione constituti ad universas fidelium Regiones, earumque profectus, & commoda tanquam uniuersalis gregis dominici, pastoralis speculationis aciem extendentes fidelibus ipsis ad quæcunda literarum studia, per quæ divini nominis gloria, fideique catholica cultus protenditur, Justitia colitur tam publica, quam privata, res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores impendimus, & opportuna commoditatis auxilia, cum a nobis petitur, liberaliter impartimur, & his, quæ propterea processisse noscuntur, ut firma perpetuo, & illibata persistant, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Dudum siquidem se, recori, Nicolao PP. V. prædecessori nostro exposito, quod bo: me: Jacobus Archiepiscopus Treviren, non solum ad Reipublicæ, ac Incolarum Terrarum sibi subiectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem, & prosperitatem intendens, quod in ejus Civitate Treviren, tamquam in loco insigniori, & magis ad hoc accommodo, & idoneo, in quo aeris viget temperies, visualium ubertas, cæterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desiderabat plurimum fieri, & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides catholica dilataretur, erudirentur simplices, æquitas servaretur, Judicii vigeret ratio, illuminarentur mentes, & intellectus hominum illustrarentur, idem Prædecessor præmissa, ac etiam eximiam devotionis sinceritatem, quam dictus Jacobus Archiepiscopus ad Romanam gerebat Ecclesiam, attente considerans, ac suum laudabile præpositum in Domino plurimum commendans, ferventi studio ductus, quod Civitas ipsa scientiarum muniret honoribus, itaut Viros produceret consilii maturitate conspicuos, præfati Jacobi Archiepiscopi in ea parte supplicationibus inclinatus, ad laudem Divini nominis, & ejusdem fidei pro-

Sixti IV. litteræ, quibus designantur Canonicatus, & Parochie eisdem Universitati uniuersorum.

propagationem auctoritate apostolica in eadem Civitate studium generale erexit, ac statuit, & ordinavit, quod illud inibi perpetuis temporibus vigeret tam in Theologia, ac Jure Canonico, & Civili, quam in quavis alia licita facultate, prout in literis ipsius Prædecessoris inde confectis plenius continetur. Quare pro parte tam Venerabilis fratris nostri Joannis Archiepiscopi Treviren, quam dilectorum filiorum uniuersorum Doctorum, Magistrorum, & Scholarium Universitatis dicti studii asserentium, quod præfatus Nicolaus prædecessor sex Canonicatus, & totidem Præbendas, ac tres Parochiales Ecclesias, vel earum perpetuas Vicarias ad ipsius Jacobi Archiepiscopi, seu quorumcumque Collatorum, & Collatricum dictæ Civitatis, & Treviren, Diæces. collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentes Universitati studii huiusmodi per alias suas literas perpetuo univit, & quod unio ipsa effectum consequuta non exitit. Nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, statuto, & ordinationi prædictis pro illorum subsistentia firmiori robore apostolicæ confirmationis adicere, & ut Doctores, & Magistri prædicti lectionibus intendere, & onera ejus incumbuntia supportare commodius possint, in singulis S. Simeonis Treviren, & S. Florini, & Sancti Castoris in Confluentia, ac in Munstermeisfeldt, & in Dichtirchen, ac in Palatiolo Ecclesiis unum Canonicatum, & unam Præbendam primo vacaturos, nec non in Andernach, & Die-deuhaffen, & Epternach dictæ Diæces., & Sancti Laurentii, & Sancti Gaugolff Treviren. Parochiales Ecclesias, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis sub onere legendi in Universitate huiusmodi illis per Archiepiscopum Treviren, pro tempore existentem adiicendo, dictæ Universitati pro illius Doctoribus, & Magistris dumtaxat perpetuo unire, annexere, & incorporare, eosque ex tunc per Doctores, & Magistros prædictos, quibus de illorum fructibus, redditibus, & proventus respondeatur, regi facere, mandare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes Beneficia ecclesiastica alii uniri, tenerentur exprimere verum valorem secundum communem existimationem tam beneficii uniuersorum unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, Universitatis, Canonicatum, & Præbendarum, ac Parochialium Ecclesiarum huiusmodi veros valores annuos, præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, statutum, & ordinationem prædicta, ac omnia, & singula in dictis prioribus literis contenta, ac promotiones in quavis facultate in ipsa Universitate rite factas, & inde sequuta quæcumque, auctoritate apostolica prædicta tenore præsentium approbamus,

& plenum firmitatis robore obtinere decernimus, suppletos omnes, & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, necnon Canonicatus, & Præbendas, ac Parochiales Ecclesias huiusmodi cum omnibus iuribus, & pertinentiis supradictis Universitati dicti studii ejusdem auctoritate, & tenore perpetuo unimus, anneximus, & incorporamus, ita quod liceat Reclori dictæ Universitatis ipsorum Canonicatum, & Præbendam, ac Parochialium Ecclesiarum, cum illos simul, vel successively per cessum, vel decessum, seu dimissionem, aut alias vacare contigerit, per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem, auctoritate propria libere apprehendere, ac ipsi Reclori, & Universitati illos ex tunc per Doctores, & Magistros prædictos, quibus de illorum fructibus, redditibus, & proventus prædictis respondeatur, regi facere, servatis tamen congruis portionibus pro perpetuis Vicariis dictarum Parochialium Ecclesiarum, de quibus commode sustentari, Episcopalia Jura solvere, & alia ejus incumbuntia onera supportare possint, cuiuscumque super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus voluntate prædicta, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, statutis, & consuetudinibus Collegiarum Ecclesiarum prædictarum, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque, Aut si aliqui apostolica, vel alia quavis auctoritate in dictis Collegiatis Ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant, Seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis dictarum Ecclesiarum Collegiarum, ac huiusmodi speciales, vel alii Beneficiis Ecclesiasticis generales prædictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem literas, nec non processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque, ad prædictos Canonicatus, & Præbendas, ac Parochiales Ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem Canonicatum, & Præbendarum, aut Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Et insuper Doctoribus, & Magistris prædictis per Rectorem, & Universitatem huiusmodi pro tempore ad tenendum, & regendum Canonicatus, & Præbendas, ac Parochiales Ecclesias huiusmodi deputatis, quod ad solutionem aliquarum pecuniarum pro eorum receptione ad illos, & ad servandum annos expectantæ, & residendum, ac solutionem primorum fructuum, & ad alia onera quemadmodum

in aliis Universitatibus illarum partium minime teneantur, & ab oneribus hujusmodi sint liberi, & immunes, ac ipsi Universitati, quod omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, concessionibus, & favoribus, quibus Colonien. & alię Universitates studiorum illarum partium gaudent, & utuntur, uti, & gaudere valeant; necnon Reſtori, & Universitati prædictis, quod personas a Jure prohibitas ad audien. leges admittere possint, se; re: Honorii PP. III. etiam Prædecessoris nostri, & quibuscumque aliis Apostolicis Constitutionibus in contrarium editis, non obstantibus, auctoritate apostolica prædicta tenore præsentium indulgemus. Volumus autem, quod propter uniones hujusmodi, si effectum fortiantur, ipsorum Canonicatum, & Præbendarum consueta onera congrue supportentur. Præterea ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrę approbationis, constitutionis, supplementationis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, Indulti, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Septimo Kal. Junii Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Constitutio Clementis VII. præcedentes confirmans nonnullas etiam addit gratias, ac declarationes

§. s. Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam per literarum studia Christianifideles bonis moribus, virtutibusque ornantur, & in illis studiosi coelicuo quodam rore respersi sapientia, & intellectus spiritum nacti non solum rebus gerendis bonum exitum parant, sepe etiam cunctis opem præstant consilii sanioris, & per eos fides catholica roboratur, dignum duximus his, quę in favorem studiorum hujusmodi a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris processerunt, ut firma perpetuo, & illibata, ac inconcussa persistant, robor nostra probationis adjicere, ac etiam eisdem studiis insistentes gratiis uberioribus decorare. Datum siquidem fel. record. Nicolao PP. V. Prædecessori nostro pro parte bon. mem. Jacobi Archiepiscopi Treviren. exposito, quod dictus Jacobus Archiepiscopus, dum in humanis ageret, non solum ad Reipublicę, ac Incolarum Terrarum sibi subjectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem, & prosperitatem intendens in ejus Civitate Treviren., tamquam in loco insigniori, & magis ad hoc accommodo, & idoneo, in quo aeris vigeat temperies, Visusualium ubertas, ceterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desiderabat plurimum fieri, & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides Catholica dilatetur, erudiretur tur simplices, æquitas serva-

retur Judicii, vigeret ratio, illuminarentur mentes, intellectus hominum illustrarentur; Idem Nicolaus Prædecessor præmissis, & etiam eximia sinceritatis devotionem, quam dictus Jacobus Archiepiscopus ad Romanam gerebat Ecclesiam, attente considerans, ac suum laudabile propositum in Domino plurimum commendans, ferventi studio ductus, quod Civitas ipsa scientiarum muniretur honoribus, itaut Viros produceret consilii maturitate conspicuos, præfati Jacobi Archiepiscopi in ea parte supplicationibus inclinatus ad laudem divini nominis, & ejusdem fidei propagationem, auctoritate apostolica in eadem Civitate Studium generale erexit, ac statuit; & ordinavit, quod illud inibi perpetuis vigeret temporibus tam in Theologia, ac Jure Canonico, & Civili, quam in quavis alia licita facultate. Quodque legentes, & studentes ibidem omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, honoribus, exemptionibus, & immunitatibus, etiam per viam, & modum perpetuarum conservatoriarum, sub quibusvis modis, & formis concessis Magistris, Doctoribus, & Studentibus commorantibus, & residentibus in Studio generali Colonien., gauderent, & uterentur. Quodque illi, qui processu temporis bravium mererentur in facultate illa, in qua studissent, obtinere, ac docendi licentiam, ut alios erudire valeant, nec non Magisterii, & Doctoratus honorem peterent, eis largiri per Doctorem, seu Doctores, per Magistrum, seu Magistros facultatis ejusdem, in qua examinatio fienda foret, Archiepiscopo Treviren. pro tempore existenti, & Treviren. Ecclesia pastorum solatio destituta, Vicario, seu Officiali in spiritualibus dilectorum filiorum præsentarentur; Qui quidem Archiepiscopus, vel Vicarius, seu Officialis aliis Doctoribus, & Magistris in eadem facultate ibidem tunc legentibus convocatis promovendos eosdem in his, quę ad Magisterii, seu doctoratus honorem quemlibet requiruntur, per se, vel alium juxta modum, seu consuetudinem in talibus indico studio Colonien. servari solitam examinare stuerent, qui eis doctoratus, seu Magisterii honorem impenderent. Illi vero, qui in eodem studio Civitatis ejusdem examinati, & approbati essent, ac docendi licentiam, & honorem hujusmodi obtinissent, ut præfertur, & tunc absque aliis, examinatione, & approbatione deinceps docendi, regendi, & legendi, tam in dicta Civitate, quam singulis aliis studiis, in quibus legere, vel docere vellent, plenam, & liberam haberent facultatem. Et deinde idem Nicolaus Prædecessor cupiens, ut Doctores, & Magistri, in eodem studio manerenti, & statum suum decenter tenere possint, ejusdem Jacobi Archiepiscopi supplicationibus inclinatus sex Canonicatus, & totidem Præbendas, ac tres Parochiales Ecclesias, vel earum perpetuas Vicarias ad ipsius Jacobi Archiepiscopi, seu quorumcumque aliorum Collatorum, & Collatricum Treviren. Civitatis, & Diocesis collationem,

nem, provisionem, præsentationem, nominationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentes, Universitati studii Treviren. hujusmodi perpetuo univit, annexit, & incorporavit. Et successive pia memor. Sixtu PP. IV. ad supplicationem bon. mem. Joannis Archiepiscopi Treviren., & universorum Doctorum, Magistrorum, & Scholarium Universitatis studii Treviren. hujusmodi asserentium unionem prædictam tunc effectum, consequutam non fuisse, erectionem, Statutum, & Ordinarum prædicta, ac omnia, & singula in literis dicti Nicolai Prædecessoris contenta, nec non promotiones in quavis facultate, in ipsa Universitate Treviren. rite factas, & inde sequita quæcumque approbavit, & plenum firmitatis robor obtinere decrevit, suppleas omnes, & singulos defectus, si qui forsitan intervenissent in eisdem; necnon in singulis S. Simeonis Treviren., & Sancti Florini, & S. Castoris in Confluentia, & in Monasterio Menisfeldt, Aindlerichen, & Epfernach dictę Diocesis, ac Sancti Laurentii, & Sancti Gandolphi Treviren. Parochiales Ecclesias, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis dictę Universitati Treviren. pro illius Doctoribus, & Magistris dumtaxat, reservatis tamen congruis portionibus pro perpetuis Vicariis dictarum Ecclesiarum, Parochialium, perpetuo univit, annexit, & incorporavit. Et insuper Doctoribus, & Magistris, per dictam Universitatem, & illius pro tempore Rectorem ad tenendum, & regendum Canonicatus, & Præbendas, ac Parochiales Ecclesias hujusmodi deputatis, quoad solutionem aliquarum pecuniarum pro eorum receptione ad illos, & ad servandum annos expectantes, & residendum, ac solutionem primorum fructuum, & alia onera quemadmodum in aliis Universitatibus illarum partium minime tenerentur, & ab oneribus hujusmodi essent liberi, & immunes, ipsique Universitati Treviren., quod omnibus, & singulis libertatibus, privilegiis, & immunitatibus, gratiis, concessionibus, & favoribus, quibus nedum Colonien. sed etiam alię Universitates studiorum, illarum partium gaudebant, & utebantur, uti, & gaudere valerent; nec non Reſtori, & Universitati Treviren. prædictis, quod personas a Jure prohibitas ad audiendum leges admittere possint, auctoritate apostolica indulst, prout in singulis Nicolai, & Sixti Prædecessorum prædictorum desuper confectis literis, in quibus videlicet Sixti Prædecessoris, quod dicta Ecclesia in Dieden. offen dictę Diocesis erat expressam, plenus continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte, tam Venerabilis Fratris nostri Joannis moderni Archiepiscopi Treviren., quam dilectorum filiorum universorum Doctorum, Magistrorum, & Scholarium dicti Studii Treviren. petitio continebat, dicta Ecclesia in Dieden. offen non Treviren. prædictę, sed Metensis Diocesis

sis existit, & propterea præfatus Joannes modernus Archiepiscopus Treviren., ac universi Doctores, Magistri, & Scholares dicti studii Treviren. dubitent, literas Sixti Prædecessoris hujusmodi de subreptionis vitio notari, illarumque effectum frustrari posse tempore procedente; Quare pro parte dictorum Joannis moderni Archiepiscopi, ac universorum Doctorum, Magistrorum, & Scholarium dicti Studii Treviren. asserentium unionem, annexionem, & incorporationem per Sixtum Prædecessorem hujusmodi concessas solum quoad Sancti Simeonis, & Sancti Castoris Ecclesiarum Canonicatus, & Præbendas, & ad S. Laurentii, & S. Ganvolphi, & in Epfernach Parochiales Ecclesias prædictas effectum habuisse, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulas dictarum Nicolai, & Sixti Prædecessorum literas prædictas, ac omnia, & singula in eis contenta approbare, & innovare, ac perpetuę firmitatis robor obtinere decerneret, nec non unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi, quoad ea, in quibus nondum effectum sortita fuerunt, adversus quascumque Constitutionum, Unionum, annexionum, & incorporationum effectum non fortitarum revocatorias, quę tam a Nobis, & Sede Apostolica, quam a Nicolao, & Sixto, & quibuscumque aliis Romanis Pontificibus etiam Prædecessoribus Nostris hæcenus emanarunt pro mutatione dicti studii Treviren., in pristinum, & in eum statum, in quo ante Constitutionum revocatorias ipsas erant, plenarie restituere, & reintegrare, & alias revalidare, & etiam de nova concedere, nec non pro uberiori Doctorum, & Magistrorum prædictorum sustentatione ad unum ex Canonicatibus, & unam ex Præbendis singularum S. Paulini extra Muros Treviren. in Lynburgh Diocesis, Beate Marie Westalia in Wetzlar via in Cardona, in Longvionno, & in Ivodio dictę Treviren. Diocesis Ecclesiarum, primo vacaturis extendere, & ampliare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere veram annum valorem, secundum communem estimationem tam Beneficii uniendi, quam illius, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, & idem volumus observari in confirmatione unionum jam factarum, præfatis Joanni Archiepiscopo, Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, ne literę Sixti Prædecessoris hujusmodi frustrarentur effectum, providere volentes, ipsosque Joannem Archiepiscopum, Doctores, Magistros, & Scholares d. studii Treviren., & eorum singulos a quibusque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum ha-

rum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac singulorum tam priorum, quam posteriorum Canonatum, & Præbendarum, & Parochialium Ecclesiarum prædictorum fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentibus, hujusmodi supplicationibus inclinari, volumus, & apostolica auctoritate concedimus, quod literæ Sixti prædecessoris hujusmodi, & processus habiti per easdem literas, nec non unio, & annexio, & incorporatio prædictæ, & inde sequuta quæcumque a data præsentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus, & per omnia, perinde ac si eisdem literis dicti Prædecessoris, quod dicta Ecclesia de Diedenhoffen non Treviren, imo q. Meten. Diocesis prædictæ erat, expressum fuisset, nec non prædictas, & singulas dicti Nicolai prædecessoris literas, ac omnia, & singula in eis contenta auctoritate apostolica præfata, tenore earundem præsentium approbamus, & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decrevimus, nec non unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, quoad ea, in quibus nondum effectum sortitæ fuerunt, adversus dictas revocatoriasque ipsas in eum, in quo erant statum, plenarie restituimus, & reintegramus, & alias revalidamus, ac cum omnibus, & singulis in literis Prædecessoris Sixti hujusmodi contentis clausulis de novo concedimus; nec non pro uberiori Doctorum, Magistrorumque prædictorum sustentatione ad unum ex Canonatibus, & unam ex Præbendis singularum Sancti Paulini extra Muros Treviren, in Lymburgh Diæc, Beata Maria in Westalia in Wetzslavia in Cardona, in Longuono, & in Puodio dictæ Treviren. Diocesis Ecclesiarum primo vacaturis, auctoritate apostolica, & tenore prædictarum extendimus, & ampliamus, ita quod liceat Rectori dictæ Universitatis singulorum tam priorum, quam posteriorum Canonatum, & præbendarum, ac Parochialium Ecclesiarum prædictorum cum illis, & illas simul, vel successive, etiam in aliquo ex mensibus ordinariis Collatoribus per Constitutiones nostras, vel alternativas, aut Concordata Principum Nationis Germanicæ, seu quævis alia privilegia, & indulta apostolica concessis, vacare contigerit, per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, ac dictis Parochialibus Ecclesiis unitis per Vicarios, per eum ad ejus nutum ponendos, & amovendos deserviri, ac Doctoribus, & Magistris prædictis de illarum fructibus, redditibus, & proventibus juxta præfati Joannis moderni Archiepiscopi Treviren. providam ordinationem desuper faciendam responderi facere, nec non dictionum Collegiarum Ecclesiarum Capitula de omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus Canonatum, & Præbendarum unitorum hujusmodi, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, juxta similem ordinationem ejusdem Archiepiscopi pro tempore inter Doctores, &

Magistros prædictos distribuendis statim post Insequutionem possessionis Canonatum, & Præbendarum hujusmodi, etiam absque aliqua expectatione annorum carentiæ, & statutorum solutionem eidem Rectori respondere teneantur, & ad hoc per eundem Joannem, ejusque successores Archiepiscopos Treviren, per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia, etiam invitati compelli possint, & debeant: quodque Joannes Archiepiscopus, & successores præfati his omnibus superintendere, & ad eos singulorum ordinatio, & correctio, emendatio, & reformatio eorum, que circa præmissa occurrere possint jure ordinario spectare debeant. Et si dicta Universitas, illiusque Doctores, Magistri, & Scholares in dicta Civitate contra eorum Constitutiones, & privilegia a Præfatis, & Gubernatoribus, seu Civibus, & Incolis dictæ Civitatis ullo unquam tempore indebite gravarentur, seu aliis minus civiliter tractarentur, ita quod Joanni Archiepiscopo, & successoribus præfatis ex his, vel aliis justis causis, & legitimis videretur Studium commode in eadem Civitate continuari non posse, quod ex tunc durantibus causis hujusmodi, liceat eidem Joanni Archiepiscopo, & successoribus sua ordinaria auctoritate, tam Universitatem, quam omnes illi annexos fructus, redditus, & proventus ubique consistentes ad aliquod Oppidum in signe dictæ Treviren. Diocesis toties quoties transferre, & ibidem quandiu iis placuerit, & visum fuerit continuare, auctoritate apostolica, & tenore prædictis statuimus, & ordinamus. Quodque unionem, & annexionem, & incorporationem sic revalidatas, illorumque extensionem, & ampliationem prædictas, ad hoc ne de cetero sub aliquibus revocationibus, vel suspensionibus in genere, vel in specie, per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet faciendis, & edendis comprehendantur, ex nunc vere, & non fide effectum sortitas, ipsique Universitas plenum Jus in re acquisitum fore, & eandem Universitatem solam fructuum perceptionem expectare, ac privilegio Constitutionis nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jus quæsitum gaudere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, aut subdelegatos, & S. R. E. Cardinales, & Casarum Palatii Apostolici Auditores in quavis instantia, etiam primæ, & ulterioris appellationis in Romana Curia, vel extra eam sententiarum, terminari, definiti, & interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliis, & aliter sententiandi, terminandi, definiendi, & interpretandi facultate, potestate, & auctoritate. Et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter fieri, & attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obstant priorivoluntate nostra, & aliis præmissis, ac in favorem dictorum ordinariorum editis, & alternativis, & concordatis, & aliis Constit., & ordinat. Apostolicis, & dictionum Metropolitanarum, vel Collegiarum Ecclesiarum

statutis, & consuetudinibus, etiam de servando Amicos, expectando, & faciendo primam annualem, continuam, & personalem residentiam, ac de solvendo certam pecuniæ quantitatem, seu certa alia Jura in prima receptione ad Canonatum, & Præbendas earundem Collegiarum Ecclesiarum, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis privilegis quoque, Indultis, & literis Apostolicis præfatis Ordinariis, & Ecclesiis, earumque Capitulis, & personis, & per Nicolaum, & Sixtum, & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine etiam consistorialiter, & sub quibusvis verborum formis, & cum quibusvis etiam derogationum derogationibus, fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam ad nullius instantiam, & supplicationem concessis, ac per eos, & Nos, sedemque prædictam, & iteratis vicibus approbatis, innovatis, & denovo etiam concessis, Quibus, ac statutis, alternativis, & concordatis, & aliis prædictis, etiam si pro illorum omnium sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus plena, & expressa, specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, & derogatum, esse volumus: necnon omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis concessum fuit non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, voluntatis, concessionis, Decreti, approbationis, innovationis, restitutionis, reintegrationis, extensionis, ampliationis, statuti, ordinationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo secundo, octavo Idus Octobris Pontificatus nostri anno Nono.

§. 6. Cum autem sicut Venerabilis frater Lotharius modernus Archiepiscopus Treviren. S. R. I. Princeps Elector Nobis nuper exponi fecit, ipse ut gregem sibi a Deo commissum in orthodoxa fide, ac pace, & tranquillitate melius conservare possit, Universitatem Treviren. prædictam restaurare, ac omnibus liberalibus artibus, disciplinis, & facultatibus instruere, & reintegrare intendat: & propterea literas prædictas, omniaque, & singula in eis contenta apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimum desideret;

§. 7. Nos pio, & laudabili dicti Lotharii Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

rii Archiepiscopi desiderio, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus ejusdem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Nicolai, Sixti, & Clementis prædecessorum prædictorum literas, omniaque, & singula in eis contenta, exceptis tamen quoad Parochiales Ecclesias prædictas iis, quarum uniones, annexiones, & incorporationes, ut præfertur, facta effectum sortita non sunt, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus.

§. 8. Decernentes tam præinsertas, quam præsentibus literas, & in eis contenta, ut præfertur, semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictæque Universitati, illiusque Rectori, & personis quibuscumque, quocumque nomine nuncupatis, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari debere, sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam casuarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ eidem prædecessores in suis literis prædictis voluerunt non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Julii 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo

X XII.

Regni Galliarum Proceres sub excommunicationis poena admonetur, ne rebellibus contra Ludovicum Regem adhaereant, saveantque.

GREGORIUS PAPA XV.

Universis, & singulis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, aliisque Regni Franciæ Proceribus, Nobilibus, & personis Rebelligum hereticorum parti adhaerentibus, seu illos sequentibus, aut auxiliium, & opem, aut favorem quomodolibet iis ferentibus contra charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum, spiritum consilii sanioris.

§. 1. Postquam Dominus, in cujus manu sunt omnes fines terra, & per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, eundem Ludovicum Regem sedere fecit in solio Patris sui, & super florantissimum Franciæ Regnum adhuc puerum constituit, multis signis ostendit apposuisse erga eum cor suum, ut faceret illi magna, & exaltaret nomen suum per eum: Siquidem dedit illi cor

Clausula

Derogatio contrationum

Dat. die 17. Julii 1621. An. I.

Ex Regest. in Secret. Brax.

A Laudibus Ludovici Regis exordiens,

Prædicta omnia confirmari petiti Archiep.

Confirmat Gregorius.

A a

re-